

Hermann Christoph Engelken

**Hermann Christophori Engelcken, S. S. Theol. Doct. ... h. Academiæ
Rostochiensis Rectoris, Programma Passionale, De Evangelicis
Salisburgensibus, Desperationem Christi Patientis Rite Recteqve, Negantibus,
Quo ad piam Temporis Quadragesimalis celebrationem, gratam patientis Jesu
recordationem, Ejusque debitam venerationem, Cives Academicos ... exhortatur**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1734?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017642>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1734. Fasten.

A-1256. ^{226.}

HERMANNI CHRISTOPHORI
ENGELECKEN,

S. S. Theol. Doct. Ejusque Prof. Publ. Ord., FCtatis
Theol. Senioris, & h. t. Decan., ad Æd. Joh. Past.
h. ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
RECTORIS,

PROGRAMMA PASSIONALE,
DE
EVANGELICIS SALIS-
BURGENSIBUS, DESPERA-
TIONEM CHRISTI PATE-
TIS RITE RECTEQ[UE]
NEGANTIBUS,

Quo ad piam

Temporis Quadragesimalis celebratio-
nem, gratam patientis JEsu recordationem,
Ejusque debitam venerationem,

CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS
serio excitat ac pro officii ratione
decenter exhortatur.

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD.
Typographi.

M. 1256 226
1465





PROGRAMA PASSIONALE

בשנה ב' DE



Ocat, Cives O.O. Honoratissimi! allicit, trahit nos, præsens *tempus*, ita dictum *Quadragesimale*, seu *Passionale*, ad feriam Christi patientis, & qua animæ qua corporis cruciatibus oppleti, considerationem, insimulque ad luctum, ad moerorem, ad planctum, ut Servatorem nostrum, profundis divagationum, angorum, dolorum, velut fluctibus immersum, fixo contemplati obtutu, occipiamus in moesticia versari, ac indolere. Non enim frigidam suffundimus, aut album plane calculum adjicimus facundissimo Johanni d' Espagne, in *Tract. von dem Essen des Leibes I&Esu Christi*, Part. IV. Cap. II. Opp. p. m. 219., edit. Germanicæ Hosmanniana an. 1724, existimanti, animum nostrum non tam vehementer percelli, passionis Christi, quam alias cujusdam casus Biblici, lectione, ut e. gr. mala Zedekiaæ Regis tractatio, *Jer XXXIX. 5. seqq.* descripta, copiosiores ex oculis nostris lacrymas excutere potis sit, quam historia Christi male habiti. Sane haud abs re dissensum suum profitetur B. Sigismundus Hosmannus in *Praefat. Operibus istis præfixa Lit. e 4.*, scribens: Er (d' Espagne) muß eine ganz andere Erfahrung gehabt haben, als

222
Tachryschi

als sonst viel tausend andere Gläubige. Ist jemahls etwas, das jemand, der seinen Jesum lieb hat, warhaftig beweget, so ist ja sein heiliges Leyden, welchen sein blutiger Angst Schweiß, seine Todes Angst, sein eifriges Gebet, da Er mit dem Tode rang, seine Ketten, sein unschuldiges Verklagen, seine Schläge, Stricken, Wunden, seine Geisselung, und dornene Kröhnung, sein kläglicher Todes Gang, seine Kreuzigung, sein Angst-Geschrey am Kreuz: Mein Gott, mein Gott, warum hastu mich verlassen, sein Durst, und Gallen-Trank, sein schmälicher Tod nicht bewegen solte, sondern sich eher durch die Geschichte Abrahams, wie Er den Isaac schlachten wolte, oder eine andere Historie bewegen liesse, müsse eine wunderliche Art und Natur, beweget zu werden, haben. Viele rechtschaffene Christen, und ich wolte wol sagen, die meisten, werden so nicht beschaffen seyn. Hinc etiam decantatissimus Hipponenſium Präſul, Augustinus, tempus, innovanda memoria Christi dicatum, tanquam luctuosum describit, iniquiſe Serm. CXLI. de Tempore, Opp. Tom. X. fol. 204, lit. I. Domini paſſio tempus noſtrum ſignificat, in quo nunc ſiemus. Flagella, vincula, contumelie, ſputa, spinea corona, cinum fellitum, in ſpongia acerum, iuſtulationes, opprobria, poſtemo ipſa crux, in ligro membra ſacra pendentia, quid nobis ſignificant, niſi tempus, quod agimus, tempus moeroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis κ. τ. λ. Gemina propinare amat Bernhardus Serm. de Paſſione Domini, Opp. p. m. 121: Universi Christiani ſacra hac septima na, aut præ ſolito, aut præter ſolitum, pietatem colunt, modiſtam exhibent, humilitatem ſectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti NB. quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui NB. non compungatur. Verum enim vero ſtatis hiſ ſalutaris paſſionis, ac luſtus diebus, Servatorem noſtrum in ſæcula benedictum, nobis rite ob oculos ponere, & æqua judicij lance ſingula calamitatum genera, ac adverſitatim tela, quaे in eum impetu velut facto irruerunt, ponderare tenemur, ne tentationum quædam incommoda, invita veritate, ex imprudenti inconsiderantia, ipsi tribuamus. Hinc no-

tissimi. *Exules Salisburgenses regiam egregie tenuerunt viam, desperationis labem longe ex sanctissima Christi anima exulasse, propugnantes ac defendentes.* In recenti nimirum Vobis, *Cives O. O. Honoratissimi!* adhuc hærebit memoria, me, FERIIS NATALITIIS primordia cipientibus, argumentum scriptionis, temporis isti convenienter, ab optimis defunisisse Salisburgensibus, qui in ore ac sermone omnium ab aliquot retro annis esse coepерunt, monstrando. *Eodem novam salutationem Papam: Benedictus sit JESUS Christus, non autem Canticum natalitium: Benedictus sis JESU Christe, recusasse.* Nunc ergo, cum denuo verba ad *Vos*, more majorum inveterato, extemporanea quamlibet, ob præsentem temporis penuriam, opera, facere cogat, *Salisburgensem* denuo coronam in vestrum producam conspectum, ostendendo, eandem recte desperationem Christi patientis negasse ac pernegasse. Equidem, ex sexcentis calumniarum spiculis, quibus, teste Scripto publico, sub rubro: *Athenääfiger Bericht Part. I. p. 33. sq. 49.* hi genuini fidei Confessores tete impediti sunt, haud postremum fuit illud valde venenatum, *Eodem Christo patienti desperationis malum diserte adscriptisse*, quæ dica adeo absque fronte, absque fundamento, impingitur in *dem Manifest von denen seditionis factis der Salzburgischen Unterthanen p. 135.*, ut omnium reliquarum imputationum, ibidem obviarum, nulla fere minorem veri speciem præ se ferat. At vero contrarium dogma, quod scilicet desperationis pravitas longe à Christo patiente absuerit, magna animi constantia, à novis religionis Evangelicæ sociis statutum esse ac defensum, luce meridiana clarius est. Cum enim Auguste Vindelicorum haud pauci *Salisburgensem* à duobus Ministris verbi Evangelicis, D.N. Sam. Urlbergero, & D.N. Job. Weidnero, ad reddendam fidei suæ rationem, vocarentur, sicque ad propositas quæstiones responsa reddere tenerentur, disertis verbis desperationem Christi in cruce negarunt & pernegrunt, ita ut non tantum negativam suam sententiam intrepido protulerint corde, sed etiam negativæ istius sententiæ fundamenta, ex sacrarum litterarum penatio deprompta, attulerint in

in medium, siveque omnes dubitationum nebulas feliciter dispulerint. Auscultemus Celeb. Autorem der ausführlichen Historie derer Emigranten, oder vertriebenen Lutheraner aus dem Erg-Bischum Salzburg Part. I. p. m. 64. In Augspurg examinirte man Diejenigen, welche lesen konten, und von unterschiedenem Alter waren. Als man Sie fragte: Warum getrostet ihr euch der ewigen Seeligkeit? so antworteten Sie: Durch Christi Blut und Verheissung. Man fragte Sie weiter: Wie kōnt ihr Euch der Seeligkeit durch Christi Blut getrostet, da es doch von Euch gehissen, Ihr glaubet, Christus sey am Kreuz verzweifelt. Sie antworteten: Behüre Uns Gott dafür, das können wir nun, und nimmer glauben. Ja wol man hat es von Uns ausgesagt. Aber Wir glauben es nicht. Wann er verzweifelt wäre, so wäre Er nicht auferstanden, und am Kreuz hot Er gesagt: Vater in deine Hände befchle ich meinen Geist. Man fragte noch mehr: Es hat aber Christus gleichwohl am Kreuz gesprochen: Mein Gott! Mein Gott! warum hast du mich verlassen? Sie antworteten drauf: Wohl! die Menschheit hat wol gezittert am Oelberge, daß ein Engel vom Himmel kommen, und Ihn gestärcket, hat aber auch gesagt: Mein Gott! Mein Gott! das bezeugt Ihm ja noch ein Vertrauen auf Gott. Solche Antwort gaben arme Bairen, und Dienst-Knechte. Ihre Worte sind so nieder geschrieben worden, wie Sie dieselben ausgesprochen haben in dem Examine, das die beyden Seniores Urlsberger und Weidner mit ihnen gehalten. Adde p. 190. ubi idem repetitum legitur. Audivitis sic, ne per febrim quidem de Christo in cruce desperante cogitasse bonos Salisburgenses, neque prolixa opus esse existimo deductione, eos recte omnino & verbo DEI convenienter, desperationis vitium à JESU patiente removisse, quandoquidem id ipsum ex adjectis jam probationum mediis liquido constare potest. Quomodo enim, amabo, spem omnem liberationis abjecisset, qui gloriosam naetus est resurrectionem, ac in amoena coelorum domicilia subvolavit, suos ad semet as-

sumpturus Job. XIV. 3 ? Quomodo spem omnem abjecisset ? qui
 in medio tribulationum æstu , cum in horto cruciatibus an-
 geretur infernalibus, ita ut anima ipsius moesta esset usque ad mor-
 tem Matth. XXVI. 38 . , ac in agone , seu maximo cum hostibus spiritua-
 libus certamine , existeret Luc. XXII. 44 . , confidenti Patrem com-
 pellavit voce, ejusque voluntati se totum submisit, inquiens :
Pater mi , si possibile est , transeat à me calix hic . Veruntamen non
sicut ego volo , sed sicut tu , Matth. XXVI. 39 . , & iterum v. 42 .
Pater mi , si non potest hoc poculum transire à me , nisi bibero
illud , fiat voluntas tua . Næ fiducia haud male habetur à D.
Buddeo in Institutionibus Theologiae Moralis p. m. 608. pro ampliore
gradu spei , seu spe fortiori , firmiori , majori . Cum enim affectus
*spei feratur in bona desiderata , tanquam futura , & olim à sum-
 mo Numine obtainenda , fiducia virtus respicit bona amabilia ,*
non præsentia , ut præsentia . Perspicilla artificiosa , quoad unam
*partem oculis admota , longe distantia , ut in propinquio con-
 stituta , præsentant . Certe fiducia , egregium illud Spiritus S.*
donum , apprime contendi potest cum istiusmodi perspicillo ,
*cui ingeniosus aliquis sequens adjiciebat lemma : Remota pro-
 xima ! quandoquidem facit , ut auxilium divinum , remotum*
quamlibet , contueamur , ut proximum , ut finitimum , ut in
conspectu collocatum . Hoc jam fiducie cimelio præditus erat
*Christus patiens , ac multis angustiarum myriadibus velut cir-
 cumvallatus , inquiens : Pater mi , adeoque spei quoque jubare*
coruscabat . Quomodo etiam spem omnem abjecisset , qui crucis
palo affixus eandem prodidit cordis fiduciam , exclamans
Matth. XXVII. 46 : Deus mi , Deus mi , quare me dereliquisti ? Ignis
iræ divinæ torrebatur ac adurebatur JESUS patiens , doloribus
*exquisitissimis subjiciebatur , cruciatibus afficiebatur infernali-
 bus . Patris coelestis amor conversus erat in odium ac indi-
 gnationem , fluenta dulcedinis , ex inhabitante deitate , alias in*
*humanam naturam derivata , penitus cessabant , auxilium di-
 vinum , alias præsentissimum , longe erat remotum , Ps. XXII. 2 .*
idque eam ob caussam , quia nostros transgressionum morbos ferebat
Ef.

Ej. LIII. 4., agnus DEI existebat, portans peccata mundi Job. I. 29,
 factus erat pro nobis peccatum 2 Cor. V. 21, adeoque etiam ~~naturam~~
 maledictio, seu summe maledictus, poenas prævaricatoribus
 debitas, loco totius humani generis, in crucis ligno persolvens
 Gal. III. 13. Nihilo tamen secius hac ipsa intensissimæ cala-
 mitatis tempestate, blandam in Patre coelesti collocabat fidu-
 ciam, eamque signis manifestissimis monstrabat, repetitis
 vicibus dicens: Deus mihi es adjutor) Deus mihi. Eviden-
 tiem R. Lipman in בירון Carmine memoriali, apud Wagenseilium
 in telis igneis Satanae, mendaciorum apertissimorum plausta in
 Servatorem conjicit, scribens p. m. 109: אחרי הפרט מעמו:
 ובשרו עליו יכאר ויקל אתי יומתו או לבן ואור לבב
 i.e. Cum postea hic (Pater) separaretur ab ipso, atque vehementissimos
 in corpore experiret dolores, execrabantur ipse diem nativitatis sua,
 (amare quiritanus): *Vae filio, vae item Patri, adjiciens quoque,*
 pag. 111. לא נועל ביום מותו וצעק למה עובתני
 i.e. Non invenit liberationem in die mortis sua, dum clamavit: *Quare*
deseruisti me. At vero tam impudenter amicum veritatis tra-
 mittent audax migrat verpus, ad Servatorem nostrum in invi-
 diam adducendum & contemptum, ut tales ineptias allegare,
 sit refutare. Neque enim diem nativitatis sua excretatus, ne-
 que sibi aut Patri suo vä appræcatus, neque absque auxilio
 divino relictus est. Pudere etiam debebat Apellam malignæ
 sua versutiæ, qua verba, fiduciam Christi plenam spirantia:
Deus mihi, Deus mihi! omisit, excitatis tantum sequentibus: *Quare*
deseruisti me? Conf. Wagenseilium l. c. p. 179. Nihil itaque R.
 Lipmannus in medium attulit, aut afferre potuit, quod impa-
 tientiam, aut desperationem, & inde emergentem Christi ab-
 jectionem, aliqua tantum specie comprobet, ut merum vendat
 fumum, prætereaque nihil. Et quomodo Jesus noster spem
 omnem abiecisset, qui ardentissimis semper obsecrationibus Patris
 coelestis aures obtundere perrexit, ac reverentiam erga Patrem
 coelestem, quoad humanam suam naturam, in profundissimo
 exinan;

exinanitionis statu constitutam , nunquam depositum , teste
 Gentium Doctorum sat inclito Ebr. V. 7.: In diebus earnis sua pre-
 cesse & supplicationes ad eum , qui poterat servare ipsum ex morte ,
 cum clamore valido & lacrymis obtulit , & exauditus est ex reverentia ,
 (Luth. darum das Er Gott in Ehren hatte). Næ! hæc opera-
 tionis continuitas abunde fiducia continuitatem loquitur , quia
 fiducia non hæsitans anima velut orationis est , Jac. I. 6. Quo-
 modo quoque spem omnem abjecisset , qui animam suam in manum
 Patris coelestis depositum , Luc. XXIII. 46. ? Hi vero desperant , qui
 DEum non amplius agnoscunt defensorem suum , & super quos ira DEI
 manet , Job. III. 36. dicente B. Brockmendo in System. Part. I. Loc.
 de Christo p. m. 343. Quomodo denique spem omnem abjecisset , qui à
 turpi fœditatis labe extitit immunis , peccatum non noscens
 2. Cor. V. 21. , tentatus per omnia juxta similitudinem (nostrum) , ex-
 cepto peccato , Ebr. V. 15 , sanctus , innoxius , impollutus , segregatus à
 peccatoribus Ebr. VII. 26. Certe hæc sanctitatis illibata laus
 Christo non competenteret , si animum plane despontisset , ac
 de amena liberatione penitus desperasset . Est enim despe-
 ratio , juxta Heideggerum in Corpore doctrina Part. I. p. m. 519 ,
 emera privatio spei , conjuncta cum sensu illius privationis , & appre-
 hensione rei sperande , vel ut impossibilis , vel saltem ut nunquam futura ;
 qualis in Caino Gen. IV. 13 & Juda Matth. XXVII. 4. 5. ; peccatum
 eo gravius in hac quidem vita , quod semper ab infidelitate oritur , &
 gratia DEI adeoque DEI ipsis horrenda abnegatio est . Velle ita-
 que , majori circumspectione usum fuisse Theoph. Alethæum in
 der Erläuterung der dunceln Schrifft - Oerer , Part. LXX .
 Licet enim is p. 675. desperationis vitium Christo tribuere nolit ;
 protestatio tamen facto videtur contraria , dum diserte afferit
 p. 579. , tempore derelictionis tristissimæ , fiduciam in promissio-
 nes DEI ipsi defuisse , id quod repetit p. 605. 611 sq. Quodsi enim
 fiducia in promissiones divinas plane evanuit , evanuit quoque
 spes , siveque Servator optimus desperationis labe , vi propriæ
 rum hypothesium , absolvit haud potest , quandoquidem , jux-
 ta Autorem ipsum p. 609. , latitia & spes fiduciam ordinarie co-
 mitan-

mitantur, adeoque non potuit non, deficiente fiducia Christi, etiam sper, quæ fiducia comes esse dicitur, deficere. Neque vero inde, quod Christus poenas sustinuit infernales, recte contra Pontificiorum, aliorumque catervam, defendantibus Theologis nostratibus, cum Quenstedio System. Part. III. p. 409 sq. prono fluit alveo, Eundem quoque desperationi obnoxium esse debuisse. Nam non pertinet desperationis ad essentiam mortis aeternæ, sed ipsi ex conditione subjecti patientis, diabolorum videlicet & hominum, adhaeret. Desperare enim est, spem liberationis omnem prorsus abjecere. Christus vero superandis doloribus infernalibus sufficiens erat, & ideo sponte patiebatur, ut illos superaret, desperare qui nec potuit, nec debuit, in quemcunque etiam sensum desperationis vocabulum acceperis, bene scribente DN. D. Rusio in Harmonia Evangelistarum Tom. III. Vol. II. p. m. 910. Adhac desperationis accurate loquendo, non habenda est pro pena, à DEO inficta, sed tantum pro consequenti aeternorum cruciatuum, inde ortum trahente, quod Diabolis ac damnatis in aeternum nulla sit speranda liberatio. Compara B. Gerhardum in Harmonia Evangelistarum Cap. 182. p. m. 1751., B. Scherzerum in System p. m. 207, sq., B. Wernsdorfum in Disp. de Christo sine exemplo homine §. XII. & plures. Denique B. Quenstedius I. c. p. 412., aliud est, ait, desperare, & aliud desperatorum & damnatorum supplicium sustinere, illudque vincere. Hoc Christo tribui potest, non illud. Qui enim desperat, penitus infernalibus succumbit. Christus autem superando vicit, non succumbendo defecit. O quam recte ergo notissimi Salisburgenses desperationis labem à sanctissimo Servatore removerunt!

Clauderem hic rivos, nisi Vos, Cives Academicci O. O. Honoratissimi! ex officii ratione, exhortari adhuc tenerer, ut instans tempus quadragesimale, quo memoria Christi, pro nobis passi, crucifixi, mortui, sepulti, renovatur, pia mentis commotione transigatis, quandoquidem verus Christi amator, qui non nomine tantum Christiani sed & omni gaudet, cum divo Gentium Apostolo, summo cum prolabio, ingeminat I. Cor. II. 2.: Non judicavi, scire quicquam inter vos, nisi Jesum Christum.

Christum & hunc crucifixum. Sane Servator mellitissimus maximo nos mactavit beneficio, dum, expers quamlibet desperationis, poenas tamen omnium peccatorum nostrorum dedit, ne nos in inferni fauibus olim torqueri, ac ad desperationem adigi, haberemus necesse. Hinc intensissimo tantum Benefactorem prosequamur amore, obsequio, pietate; *diligamus illum*, quia ille prior dilexit nos. 1. Job IV. 19. Praesertim autem ad Vos, carissimi DNN. Studiosi! mea dirigitur oratio. Sunt sane ex Vobis, qui profigatam ducunt vitam, quileges divinas & humanas. naucifaciunt, ac alto contemnunt supercilios, qui fines honestatis transgrediuntur, qui moniti, ex sincero peccatore profecta, susque habent deque, qui nihil prius aut antiquius estimant, quam pretiosissimum tempus otio, luxu, compotationibus, comensationibus, impudicitiae actibus, & sic porro, perdere, qui larvis ac personis deformati, in plateis discursitant, variaque flagitiorum genera perpetrant. O mei! desistite, quæso, desistite ab istiusmodi, & similibus pravitatibus. Seria mentis estimatione perpendite JESUM, vestri caussa passum & mortuum, ac in illius gloriam cunctas vestras dirigite actiones. Nam is pro omnibus mortuus est, ut dum vivunt, non amplius sibi ipsis vivant, sed ipsis, qui pro omnibus mortuus est & resuscitatus 2. Cor. V. 15. Cane pejus atque angue fugite omnes morum deformitates, ne, aliter faciendo, aliquando in barathrum perennis damnationis præcipitati, aeternum debeat agere planctum, ac in tristissimam incidere desperationem. Nam va Vobis, qui impleti estis, quoniam esuriatis. Va Vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis Luc. VI. 25.: Ut autem Magistratus Academicus quoque demandato non desit officio, sed istiusmodi petulantiae speciminiibus decentem ponat obicem, PUBLICUM, ne aliquis ignorantiam prætexere, sique aliqualem illicitis facinoribus fucum obducere queat, auctoritate Rectoris & Concilii, presenti Programmati insertum est, EDICTUM, quod ita sonat:

Adver-

*Advertite buc larvati incedentes Cives, quibus
exporrectam frontem, ingenui pectoris indici-
um, gerere displicet, personatos nescio quos, imo
diabolicos habitus in deliciis habentes. Nostis,
vice plus simplici nauseam nobis inde contradam,
atque serio, ut ab omnibus, larvarum involu-
cris abstineatis, ex valvis publicis monitum
esse, & jussum, sed, quod dolemus, non sine petu-
lanti Magistratus Academici contemtu, à vobis
neglectum. Conqueruntur sane omnes nuptiæ,
omnes honesti conventus, imo & plateæ de præ-
sentia vestra, uti improvida, ita horrida, cun-
ctis metum ac indignationem incutiente. Nulla
ergo Magistratus vestri auctoritas vobis am-
plius curæ, cordique est? Nulla Legum nostrar-
um, quibus tamen stipulata manu, loco jura-
menti, obedientiam addixistis, sanctitas quic-
quam operatur? Quousque excurritis, Cives?
Scilicet de vobis jure usurpatur illud:*

*Nitimus in vetitum semper,
Cupimusque negata.*

*At vero contrarium vult, quem susque deque
babetis, noster Ordo, sic demum vestris au-
B 2 sibus*

sibus oppositus, ut novo hocce, & illico executioni mandando, statuto sanciverit:

Quodsi, in futurum, Civis Academicus, quicunque is tandem fuerit, vel in Cœtibus nuptialibus, vel alii congressibus, aut in plateis, personato habitu larvatus (vulgo masquiret) comparuerit, illum stante pede non solum per vigiles in carcères deductum, sed graviori insimul mulcta punitum iri. Cavete vobis omnes atque proprium damnum prompto obsequio avertite.

Audivistis sic, quonam tendat mens SENATUS ACADEMICI, vobis cetera bene cupientis. Quodsi debitum gesseritis morem, propriæ vestræ consuleatis saluti. Sin minus, & in DEI, & Magistratus vestri justam incurretis animadversionem.

P. P. Dominica Quinquagesimæ,
ANNO MDCCXXXIV.

SUB SIGILLO RECTORATUS.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1004017642/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017642/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004017642/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017642/phys_0016)

DFG

*Advertite buc larvati incedentes Cives,
exporrectam frontem, ingenui pectoris
um, gerere displicet, personatos nescio quae
diabolicos habitus in deliciis habentes.
vice plus simplici nauseam nobis inde contineatque serio, ut ab omnibus, larvarum
cris abstineatis, ex valvis publicis esse, & jussum, sed, quod dolemus, non sinalanti Magistratus Academici contemtu, neglectum. Conqueruntur sanc omnes & omnes honesti conventus, imo & plateæ sentia vestra, uti improvida, ita horrida etis metum ac indignationem incutiente. ergo Magistratus vestri auctoritas vobis plius curæ, cordique est? Nulla Legum rum, quibus tamen stipulata manu, locum, obedientiam addixistis, sanctitatem quam operatur? Quousque excurritis, Scilicet de vobis jure usurpatur illud:*

*Nitimus in vetitum semper
Cupimusque negata.*

At vero contrarium vult, quem suscipietis, noster Ordo, sic demum vestrum

B 2

